



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

latè Provincias, concionabundus obiens, infidelium multa millia, *in libertatem Christianam* è deorum servitute *asserta fonte sacro* lavit, & frequentibus ostentis confirmavit, quo virtutum odore allecta B. PLECTRVDIS, AVSTRASIÆ Princeps Eundem à S. SWIBERTO cum socio Theodorico ad Pipinum decumbentem, Ioppiliam eunte, precibus obtinuit, vt secum devotionis consolationisque causâ COLONIÆ resideret: vbi in Domini vinea gnauiter defudans, prodigijs illustri GERALDVM *illustrem* PALATINVM à peste anginæ; & Gotebaldum à præfenti Morte, Salutiferæ Crucis signo (attonitis PLECTRVDIS & populo) liberavit. Demùm S. SWIBERTI in *præfectura WERTENSI* decennium gnauus & Fidelis successor A. DC CXXII. Apostolico spiritu, vitæ integritate & prodigijs illustri, longum æternitatis iter ingressus est. *Mar. Can: Bar: Sancta.*

III.

CHVNIGVNDIS AVGVSTA & VIRGO EX COMITIBVS PALATINIS MOSELLANICIS, HENRICI IMPERATORIS VXOR, suis meritis dives: vt proinde in ea amabiliter Spiritus Sanctus quiesceret, *carnem nudam cilicio tegebat, cilicium aurea*

reâ

reâ veste dissimulabat, hòc sanctior, quò superior. *Virginitatis florem*, malevolorum & caco-dæmonis invidiâ, *apud Virum in suspicionem adductum*, *candentium vomerum experimento integrum probavit*, *malens familiam quàm Virginitatem emori*; quam & à S. HENRICI fato, in Cænobio à se BAMBERGÆ cum Diœcesi, erecto illibatam ad ultimum vitæ terminum servavit. *Ex Mart. Can. & sanct. Bavaria.*

## III.

IN Abbatia Divitensi, vulgò Tuitiensi, felix discessus B. ROBERTI Abbatis, qui scientijs instructissimus, ac libris clarus, cum mundum totum curioso oculo, penitus inspexisset, neque hic vsquam, invidiâ dominante, arrideret, pedem extra mundum, Divitensi in familia constituit: patrimonio in pauperes liberaliter effuso. votis Deo arctius obstrictus, ita in pietatis studia totus abiit vt loci eius præfecturâ, omnium calculis dignissimus habitus sit. Et sanè, *dum non præesse, sed prodesse desiderat*, omnibus charus, cilicio cineribusque incubans, ad immortalitatis præ-

mia